

~~Ed. 236~~

1) Liber, P.

metall 2) - 15)

EL 236

(3) = HF



57
Historia

2

SVPPPLICII DVORVM
MARTYRVMLAVRENTII
ET POLYCARPI HEROICO
CARMINE CONSCRIPTA

A

M. IOANNE SCHELHAMERO
docente Euangelium Christi in templo
Laurentiano Urbis Noribergæ.



NORIBERGAE IMPRIMEBAT
Theodoricus Gerlzenus.

M. D. LXX.

Johann Schelhammer

1527-1605

HISTORIA
SACRILEGII DVOR
KVM MARITIMVM LAVREN
THEO POLYCARPI HBR OICO
CANNINE CONSCRIPTA

M. JOHANNES SCHELHAMMERO
doctore Evangelicorum Christi in templo
Lauritano Vitis Norbergae



NORBERGAE IMPRIMEBAT
Theodorus Gessnerus

M. D. LXX



AMPLISSIMO

AC ORNATISSIMO VIRO, PRU-
DENTIA, VIRTUTE ET SAPIENTIA
PRÆSTANTI, DOMINO GEORGIO VOLCK-
hamero patricio reipublicæ Noribergensis & Senatori,
suo Domino obseruandè colendo.



ON modo nominibus cum sis generosus auorum,
Sed faueas etiam vir præstantissime Musis,
Altius euexit te Volckhamere Senatus,
Et proceres inter magnos in sede locauit.
Sunt tibi magnarum commissa negocia rerum.

Iussus enim sacris templi præesse ministris,
Et Paumgartnerus tuus est collega laborum.
Ergo tui memor officij, quo fungere, curam
Religionis agas: hæc est nam maxima virtus
Propagare Dei cultus, & dogmata Christi,
Pectore quem fassus firmo Laurentius Heros,
Et Polycarpus Apostolico vicinior æuo,
Occubere habiti ceu dira catharmata Mundi.
Horum supplicium canimus, rogo carmina vultu
Accipias placido: cernes in imagine vera
Temporis effigiem nostri, & tibi funera mortis
Sunt posita ante oculos sanctorum: heu qualia passi
Martyres afflictæ subiêre pericula vitæ.
Nos superum regem precibus votisque precemur,
Ne sinat extingui cœlestis lumina verbi:
Sed sibi in his terris semen sanctissima membra
Colligat, & cœtum seruet, qui semper honores
Christe tuos celebret per mœnia Noridos vrbis,
Incolumes maneant ciues sanctusq; Senatus.
Seruet & illæsos nobis o inclyte Cæsar,
Maxmiliane tuæ fines regionis in ora
Austriaca, & Mahometigenas procul arceat hostes.

M. Ioannes Schelhamerus tuæ
excellentiæ deditissimus.

A 2

Mar-

MARTYRIVM LAVRENTII.



ALMA Dei soboles, æterni Patris imago,
Huc ades, & spira faciles in pectora motus
Nam graue suppliciũ canimus, quod for-
titer ignes

Pertulit in medios positus Laurentius Heros.

Hic inter populos magnum virtutis Iberos

Obtinuit nomen, proavis & origine clarus,

Clarius at pietate fuit, mens numinis intus

Noticias hausit veras, & vana Deorum

Exosus figmenta, solum mutare paternum

Decreuit: veniens laudatæ ad mœnia Romæ

Nauavit sacris operam sub præfule Xysto,

Quem Xystum Graij, Sixtum dixere Latini.

Omnes aduentum focij mirantur, & ipsum

Excipiunt læto plausu, gaudentq; tuentes

Ora viri tam præstantis, pars oscula figunt,

Pars ardent auidi nexus coniungere dextras,

Quæ sit causa viæ, velit & quò tendere quærunt,

Exul an hic adsit patrijs eiectus ab oris,

An fugiat sæua gaudentes cæde Tyrannos,

Quæsierant: iuuenis respondens talia fatur,

Nil horum patior: Latijs succedere terris

Nulla Tyrannorum me vis inimica coëgit.

Huc me traxit amor vestri, traxereq; fata,

Quæ me forte volent oneratum mole laborum

Oppe-

Oppetere hic pulchram Christi pro nomine mortē,
Hoc infixum animo tibi si sedet, atq; voluntas
Est etiam tua summe pater, nil demoror, adsum,
Proñcio promptus vitam, totusq; futuræ
Gloriæ agor stimulis mundi pertæsus iniqui.
His dictis, ciues lacrimas, quas ille tenebat
Non tenuêre pñ, venienti protinus vrbe
Quisq; suas offert ædes, gratissimus hospes
Venisti nobis, aiunt, Ecclesia nostra
Non ignara mali miseris succurrere discit,
Sic memorant: secum & ducunt in tecta domorum,
Aduena ibi paucos postquàm transegerat annos,
Est factus Leuita sacer, templiq; minister,
Inter Apostolicos comites quo munere functum
Audimus Stephanum: multi collegerat auri
Thesauros inopum iustos respública in vsus,
His tu Laurenti custos præesse iuberis,
Inde dabas viduis, orbisq; alimenta pupillis,
Et quamuis fuerit tua dextera semper aperta
Pauperibus, tamen hæc pietas non flexerat hostem,
Mitior vt fieret: gentilis turba querelas
Detulit ad proceres, ait, hic homo numen adorat
Patribus ignotum, stant & sine thure Deorum
Interea veteres aræ; num nostra sinemus
Sacra profanari: det pœnas ocyus omnis,
Annuit ad statuas qui non procumbere Diuûm.
Sicne moras trahimus longas, & nulla malorum
Quærimus ignaui medicamina? Iupiter ipse
Non bene tutus erit, cogetur cedere templo

Ex Capitolino, poscit Galilæus honores
Filius ille fabri diuinos, atq; supernum
Præter Iosephum se dicit habere parentem,
Auribus in nostris quamuis absurda loquatur,
Ista tamen credit gens dicta à nomine Christi.
Talibus auditis alta intra limina regis
Consilium capiunt proceres de rebus agendis,
Nunc huc nunc illuc versantes pectore curas
Ancipites, fari iubet, & responsa reposcit
Ordine cuncta suo princeps: sententia dicta
Dissensu vario, tunc facta silentia linguis,
Assurgens senior, cui magna scientia rerum
Et virtus fuit, hæc dixit, prudenter agendum
Censeo, Nam in melius raro violentia celsit.
Sæpius hos homines aggressi tollere ferro,
Sumpsimus arma, quid his præclari effecimus vnq;
Ex illo qui iam motus, quæ damna sequantur,
Roma videt, manant horum Tyberina fluenta
Sanguine adhuc, campi q; recentibus ossibus alben.
Non tamen hoc genus est extinctum, semina sectæ
Sparsa magis crescunt: & mox acquirit eundo
Impetus hic vires, omnes expendere casus
Est æquum sapientem: certi numinis auso
Si res hæc geritur, non fas contendere contra.
Non eadem suasere alijs: rex percitus ira
Militis armati sæuas exire cohortes
Iussit, & ad sese duci iuuenesq; virosq;
Ecce trahebatur manibus post terga reuinctis
Romanus præsul Xystus sua lumina tendens

Ad

Ad cœlum: ligno rex hunc mandauit ab alto
Suspendi primum: fidei confessio vera
Est audita senis, propior Laurentius astans
Fleuit, & ex oculis guttæ cecidère madentes.
Et focij his verbis cœpit lenire dolores,
Te mihi quis tristis casus venerande sacerdos
Eripit: ô vtinam possem modo reddere vitam
Pro te care pater, simul hinc simul auferor inquit.
I decus, i nostrum, melioribus vttere fatis,
Hic tibi in ærumnis æui pars magna peracta:
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus ad superos, sedes vbi fata quietas
Ostendunt, precibus quò sæpius ante venire
Optasti, Christoq; frui: non plura locutus.
Xystus eum cernens largos effundere fletus,
Alloquitur mœstum, lacrimas iam supprime iustas,
Quid iuuat assiduo vultus perfundere fletu,
Non soli hæc patimur, sic est Seruator Iesus
Affixus clauis, nudato corpore pendens
Sanguine manantes diuino è corpore guttas
Profudit, fossiq; pedes, fera lancea dextrum
Traiecit latus, & spinis contexta corona
Velauit caput innocuum, foedataq; sputis
Est facies tetris, melior ne hic nostra futura est
Vita: dies sæuis post tres torrebere flammis.
Hæc ego quid refero, duros tolerate labores,
Et cum mortales vobis conuicia dicent,
Criminibus falsis onerantes nomina vestra,
Gaudete, & vosmet rebus seruate secundis,

Quic-

Quicquid id est, ignominias contemnite læti.
Non hæc vana fuit vox vatis: mille parantur
Christicolis celeri iussu tormenta Tyranni,
I cito licitor, ait, cunctas inquire per ædes,
Et Galilæorum sectam stirpemq; nefandam
Tolle, viros, iuuenes, infantes, tolle puellas.
O scelerum facies, luctus gemitusq; sonabant
Quocunq; aspiceres, tota Laurentius vrbe
Quæritur, inuentus magno clamore furentis
Protrahitur populi: tunc circumfusa repente
Turba ruit studio visendi, illudere capto
Pars tentant, illum pars oculuisse repostos
Thesauros referunt non parui ponderis: auri
Execranda fames & opum furiosa cupido
Excæcant mentes, & nil moderabile suadent.
Præfectus regis sperans iam tempus adesse
Optatum, quo posset opes inuadere sacras:
Vasa dari sibi templorum gazasq; relictas
Poscit, & irridens Christi venerabile nomen
Emittit talem rabido de pectore vocem:
Dogmata promittunt cœlestem vestra salutem
Pauperibus, vos ergo bonis spolianus auitis,
Ut sic ad cœlum vobis via certa paretur.
Lex quoq; vestra viros pronunciat esse beatos,
Quibus bona nulla tenent: cum sit nihil ergo tenendum,
Cur aurum abscondis? nummos deprome latentes.
Non bene conueniunt æris possessio magni
Et pia relligio: licet hic audita referre.
Sanctus ad hæc Martyr diuino numine plenus

Incipit,

Incipit, ô præses nobis cur fraude maligna
Has struis insidias? Non hos iure exigis æquo
Thesauros, inopum qui conseruantur in vsus.
Vis ne ferus tanquam prædo spoliare pupillos,
Quos agit extorres Mundus, prosternere letho
Non satis infantes? falso quoq; nomine templi
Exigis argentum? te debita poscere dicis.
Non dabitur quod auare petis, refer ista Tyranno
Crudeli, ipse ego sed potius quàm iussa facessam
Ignitis tradar flammis, vel terra dehiscat,
Solis ab occasu solis conuersus ad ortum
Forte meus Patriam vultus non amplius inquit
Aspiciet, fratres, cariq; valete parentes,
Et tu Roma vale, iam me discedere terris
Vult Deus, & Xystum memini prædicere mortem.
Hæc ait, at præses totus iam feruidus ira
Vociferans, agimus nihil ô rex, omnia frustra
Nos in Christigenas molimur, carcere nullo
Nec pœna possunt adigi, venerentur vt vrbis
Romanæ simulacra, nouos ritus, noua sacra
Instituunt, priscasq; audent rescindere leges.
Huius tam ne diu sectæ patiemur in oris
Aufonijs pestem grassari? concipe motus
Rege graui dignos, te defensore Deorum
Relligio vetus ad ritus reuocetur auitos.
Contemptor summi Iouis est Laurentius, auri
Et custos monitus iussis parere recusat.
Tum Decius, quem florentis iam gloria regni
Christiadum inuidia stimulisq; agitabat amaris,

B

Extru-

Extruxisse pyram iussit, iuuenemq; minatus
Consumpturum igni: linquunt nil prorsus inausum
Aut intentatum, valeant quo flectere mentem
Primores aulae. Solatia spiritus intus
Accendens in corde nouos est pectore motus
Addidit: Attollens laetos ad sidera vultus
Sic cepit fari: Deus ô Pater optime rerum
Cernis vt insultent hostes, tumidiq; ferantur
In scelus omne, tui nomen venerabile nati
Abiurare iubent, ipsius vertere fundo
Conantur regnum: Cur in discrimine tanto
Auxilium differs, nec quid tua dextera possit
Ostendis? quid ego potui committere tantum?
Quid reliqui potuere, quibus tot tristia passus
Cunctus ob inuidiam terrarum clauditur orbis?
In nos respiciens optatum aliquando laborum
Da finem, saturos & vitae transfer ad astra.
Me precor in placida seruum dimittito pace,
Seruum, qui laetis animis fuit ante paratus
Ad Christum transire suum, quem lumine cordis
Vidit, & agnouit Dominum, fontemq; salutis.
Hoc praesente lubens moriar, dulciq; reponam
Expirans animam gremio, me totus ouantem
Excipiet superum chorus, & fruar aetheris aura
Inter coelicolas felix, interq; beatos.
Vix haec ediderat: rogos est incensus, & altas
Ad nubes ventus sonitu crepitante fauillam
Sustulit, in cratem compactam ex aere rigenti
Carnifices positum corpus inuenile ligarunt.

Quis

Quis tua Laurenti lacrimans non funera fleret?
Prunis assantur subiectis torrida membra.
Audisses querulos gemitus, fletusq; piorum
Heu heu quid miseri aspiciamus, tantas ne vir insons
Ærumnas patitur: Deus ô iustissime vindex
Difficiles obitus, longum & miserate dolorem
Solue, quis aspiciens feriat non pectora planctu?
Nobiscum montes, maris & vos stagna profundi,
Nobiscum cœliq; plagæ coniungite luctus.
Tu sol conde iubar, tenebris inuolueq; vultus,
Ne videas tormenta viri crudelia tanti,
Et vos imbriferæ nubes restinguite flammæ,
Audiât hos gemitus Heros, solatus amicos,
O fratres cari vano desistite luctu:
A mœstis quamuis moriens auellar amicis,
Corporis est solum tamen hæc auulsio nostri.
Tempus erit, quando cœli in penetralibus altis
Conueniemus, vbi madidis rex ille supremus
Absterget lacrimas oculis, & præmia iudex
Iamdudum promissa pñs, & munera reddet.
Quid præfecte furis? satis assatum latus, inquit,
Est vnum, lateris partem conuerte crematam
Sæue tyranne, meos mandens sub dentibus artus
Vescere visceribus, poteris sic forte vorando
Expleri mentem miserorum cæde cruenta,
Hæc dicens: oculos suprema morte grauatos
Sustulit, & precibus Christum in sua vota vocauit,
Nate Dei, ser opem, supplex tua numina posco,
Respice, & expirantem animam ne desere seruum.

B 2 Audiât

Audijt omnipotens ardenti voce precantem,
Et dedit Angelicis subito mandata ministris,
Ite, ait, ac animam migrantem è corpore sancti
Martyris in gremios summi portate parentis.
Non mora, delapsi cœlo mandata ministri
Expediunt, medio luctantem mortis agone
Accipiunt animam, portantq; ad sidera secum:
In gremiumq; patris ponunt, vbi & ipse quiescit
Abrahamus laudes celebrans sine fine tonantis.
Hactenus ingenti cecini tormenta dolore
Inuicti iuuenis, nostro nunc carmine veram
Musa mihi causam memora, cur turba piorum
Et celebres sancti, quorum Laurentius vnus,
Robore tanto animi posita formidine mortis
Omne genus lethi superarint: abfuit horror
Supplicijq; metus, nec signa dedere timoris.
Coram principibus Dominisq; potentibus orbis
Intrepidi stantes clara sunt voce professi
Doctrinam fidei, nec passi à tramite veri
Abduci sese, firmos constantia fecit.
At contra Christum tristis circumstetit horror,
Et mortis metus horribilis, subitiq; pauores.
Nunc animam queritur tristatam, nunc petit à se
Transferri potum calicis, pendensq; per auras
Horruit, atq; Deum veluti se oblitus, acerbæ
Pertimuit mortis genus, hæc è pectore fatus,
His quid in extremis Genitor me care periculis
Deseris? Heu nati quo iam tibi cura recessit?
Quid merui, quod sic crucior: modo parce luenti
Horri-

Horribiles pœnas, quas sustinuisse parentes
Debuerant primi, nunc in me cuncta redundant.
O rem mirandam canimus, procul ite profani,
Quis fatis exponat verbis mysteria tanta?
Illud enim patris non enarrabile verbum,
Quod de corde suo genuit, de lumine lumen,
Humano generi famulans seruilia membra
Induit, & iuxta carnem non fratribus impar,
Peccato tamen excepto, certamen inire
Cum Satana voluit, quo ne succumberet insons,
Erectus virtute Dei fuit, & quoq; eundem
Angelus ex alto veniens firmauit in horto.
Tantus erat mœror, metus, vt de corpore sudor
Sanguineus flueret: certamine maior in isto
Quæris vter fuerit: victor superasse videris
Illum, Laurenti, qui te, qui cuncta creauit,
Nam non fugisti mortem terrore repulso,
Non te desertum es questus, cecidêre fluentes
Ex oculis tibi non lacrimæ, nec signa dedisti
Tristitiæ, sed ouans animi tua damna tulisti.
Addidit hos motus & gaudia Spiritus intra
Pectora conceptus, quia scis sic esse remissam
Delicti culpam, Deus vt non imputet illam.
Scis Mediatorem victis egisse triumphum
Hostibus, & Satanam trufisse ad tartara vinctum.
Vt sic credentes possint illudere victis,
O mors victa iaces: vbi nunc victoria regis
Est inferne tui: te fortior exiit armis.
Verus homo verusq; Deus de virgine nasci

B 3

Inta-

Intacta voluit, calcans hic colla Draconis
Protriuuit stygij: serpentis cernere morsus
Et dentes in carne sacra potes, & dedit ictus
In fonti Domino, vulnus lethaleq; fecit.
Inde dolor tantus cordis, mœrorq; sequutus
Tristitiæ, daret vt gemitus, & puluere stratus
In sua cœlestem ter patrem vota vocaret.
Cur sic Christe tremis? tanti quæ causa timoris
Atq; fugæ mortis? pauor horridus occupat artus?
Est tristis facies, vultus mutatus & ora?
In promptu causa est: offensi numinis iram
Sensisti, serpens in cor sua spicula fixit.
Et velut ipse reus commissi criminis esses,
Totius mundi peccata cruore piasti
Sanguineo, & pœnam solus, quam soluere lapsos
Fas erat, in te te deriuans morte luisti.
Horresco meminisse, Dei quæ vera propago
Pertulerit mala pro nobis, Deus illa subire
Nequaquam erubuit, ligno quæ quisq; latronum
Infamis patitur: suspensum vidimus ipsum,
Non erat in facie nitor, & non forma placebat.
O afflictæ tui status est Ecclesia regni
Nunc non dissimilis, facies tristissima vultu
Apparet, partem crucis (in crudelibus aris
Qua pressus rerum Dominus sub pondere magno
Ingemuit) placuit miseris imponere membris.
Hac sub mole Simon celebri satus vrbe Cyrenes
Incessit tua pone sequens vestigia Christe.
Expectanda suo non sunt meliora Magistro
Discipulis:

Discipulis: cœli facit hæredesq; bonorum,
Sic tamen, vt plagam non ferre grauemur eandem.
Quod superest, cum mille malis, cum mille periclis
Obiecti simus, nec sit confidere tutum
Humanis rebus, Deus ad te lumina cordis
Turbati erigimus, casus ne despice nostros:
Exaudi, quas tota preces Ecclesia fundit
Aduersus fremitus Satanæ mundiq; furores.
Cernis vt immineant nostris ceruicibus hostes,
Turca ferox agros populatur & ense trucidat
Infantes animas, quis crederet, inter & ipsos
Christigenas rabidi crescunt certamina belli.
Fratris enim (ô dolor) in fratrem manus impia seuit,
Ac homines sancti pecudum de more necantur
Carnifici iugulum præbentes: surgis in iram
Cur non magne Deus: tumidis Pharaona sub vndis
Mersisti, facile & potuisti perdere castra
Sanharibæ ducis Assyrii: tibi terga dederunt
Sæpe Philistæi: sic iam quoq; sanguiuus vltor
Existens: iusti cœtum defende tuorum.
Da pater omnipotens hoc nunc optantibus vnum,
Extremæ nobis vitæ cum venerit hora,
Spiritus exhalans quando de corpore cedit,
Et quando vires non sunt, & lumina visu
Destituuntur, vt in Christo præsentē dolores
Ærumnasq; graues mortis superare ferendo
Possimus, pater hoc tantum, nil poscimus vltra.

Mar-

MARTYRIVM
DIVI POLYCARPI EPISCOPI
ECCLESIAE SMYRNENSIS.



E quoq; magne gregis pastor Polycarpe canemus,

Funera dicentes: vatis precor annue coeptis

Summe pater cum prole tua, cum Flamine sancto,

Concipere æthereos vacuo da pectore motus.

Nam modo si dederis vires, erit hic labor omnis

Non mihi difficilis: primis exordia ab annis

Deducam, nostri versus sic exigit ordo.

Hunc fidei fundamentum Diuine Ioannes

Constat adhuc puerum sub te iecisse Magistro.

Excipiensq; tuos sermones multa solebat

Dicta referre alijs, quibus impia dogmata tetri

Erroris Cerinthe tui potuere refelli.

Egregios aliquot socios in flore iuuentæ

Vidit Apostolici coetus, Ignatius vnus

Et celebris Papias, Asiae duo lumina terræ.

Præsul ab his lectus Smyrnæ sanctissimus vrbis:

Vsq; adeo veræ studium pietatis amauit,

Vt toties digitis ambas obstruxerit aures,

Audijt Hæreticos quoties blasphema loquentes.

Tu quoq; tentasti temerarie Marcio gratum

Illius alloquio tibi conciliare fauorem,

Talibus appellans dictis, nihil obstat amicum

Quin

Quin me care tuum Polycarpe agnoscere possis.
Ipse refert, Satanæ foetum te agnosco furentis.
Congressus monuit fugiendos esse virorum,
Qui sacra cœlestis viciant oracula verbi.
Et quod forte magis mirum, loca fugit & ipsa,
In quibus aduersus Christum conuicia dicta,
Præcipuè opposuit sese conamine magno
Marcio ubiq; infane tibi sectæq; nefandæ.
Ipse Deos simul æternos duo numina fingis,
Nominibus positis Lucem Tenebrasq; vocasti.
Et Lucem vis esse Deum fontemq; bonorum,
Et tenebras vis esse Deum fontemq; malorum.
Introducta fuit duplex substantia rerum,
Delirant veluti quidam nunc tempore nostro.
Sic delirantem, sic & monstrosa loquentem
Verba refutauit Smyrnensis Episcopus vr̄bis.
Magne Dei custos, nec non reuerende sacerdos
Pro sudore tuo tibi proq; labore fideli
Quas tandem grates, & præmia debita mundus
Perfoluit: meritis quæ gratia reddita tantis?
Sæuijt effusus populi furor omnis in vnum,
Tollite clamantis blasphemus, numina fas est
Non aliena coli; tristes plærunq; ruinas
Et varios casus veteris mutatio ritus
Fert secum, maneant prisorum immota Deorum
Sacra: vides hæc religio quo se noua vertat,
Seditione potens terrarum concutit orbem,
Et regna imperij scindit, discordia fratrum
Inde fluit, si non tantis obstabimus ausis,

C

Omnia

Omnia (contempto Ioue) Christo templa dicabunt,
Templa olim impensis magnorū structa laborum.
Hæc populus, proceres eadem simul ore fremebant,
Ad loca supplicij traheris tristissima martyr,
Ecce poli rector summum concussit olympum
Ingenti sonitu, grauius quo maxima tellus
Intremuit, visum subito ruere vndiq; cœlum.
Mira, sed acta loquor, superas emissa per auras
Vox venit, Polycarpe Deo dilecte minister,
Quo vadis moriture, memor Christi omnia vince.
Te nec ab incepto crudelis terreat hostis,
Non sumus abiecti, quamuis patiamur acerba.
Succurrit diuina manus, cum nulla salutis
Rebus in humanis spes est: cœlestibus armis
Viribus haud hominum defensa Ecclesia stabit.
Talibus atq; alijs firmato pectore verbis,
Aspiciens cœlos has fudit ad æthera voces,
O genitor si nostri vnquam fuit vlla laboris
Cura tibi, aut casus si te mouere tuorum,
Nunc ô nunc Pater auxilio, nunc munere nobis
Est opus alme tuo, nostris occurre periculis,
Quæ nisi depellas, anima hæc è corpore migrans
Iacturam faciet. finem dedit ore loquendi.
Interea vulgi furor implacabilis ardens
Non aliter fremuit, quàm cum mare fluctuat æstu
Iactatum rapidi ventis spirantibus Austri.
Omnia proconsul cernens flagrare tumultu,
Sedari motus cupiens, ignobile vulgus
Arguit, & placidis mulsit sermonibus aures.

Plebis

Plebis vbi clamor sedatus voce regentis,
Accersitus adest Polycarpus; dicere præses
Incipit, infelix duram precor exue mentem,
Si non formidas pœnam, reuerere capillos
Grandæui capitis, cur vis crudele pacisci
Supplicium lethi: deserto nomine Christi
Antiquos agnosce Deos, & saluus abibis.
Sic fatus; senior prorupit in hæc cito verba:
Ventum ad supremum est, tristis data tempora vitæ
Exegi in terris, æui cursumq; peregi,
Quem mihi fata dedêre, pedes & ponimus ægros
Ad tumulum, puluis iam membra senilia terræ
Obruet, & superûm regi conuicia dicam:
Impia ne mandes, Dijs sint tibi Delia virgo,
Iuppiter & Iuno, Bacchus, facunda Minerua.
Est nobis vnus mundi fabricator & autor,
Ritibus hunc colimus iustis, precibusq; vocamus,
Nec quisquam nostrum curat simularca Deorum.
Hæc vbi dixisset, rabidas exarsit in iras
Proconsul torquens huc illuc lumina vultus,
Dic, inquit, cur nostra colas non Numina Diuûm,
Forsitan esse Deos dubitas, nil de Ioue magno
Et de Dijs aliquid reliquis sentire videris,
Hunc morem nostri maiores hæctenus omnes
Seruauêre Iouem vera pietate colendi.
Hos errasse putas? non contemnenda vetustas,
Si mare, si terram, si cœlum numine complet
Ille fabri natus, cur non in agone supremo
Adfuit auxilio sibi, cur infamia passus?

C 2

Cur

Cur non de ligno (toties descendere iussus)
Descendit: rerum fuit huic si tanta potestas,
Hic finis fandi: Polycarpus talia contra
Nil agis his inquit nugis, desiste monendo,
Quæ gentes simulacra colunt, sunt vana, nec vllum
Numen habent, sed tantum sunt idola periti
Artificis fabricata manu de marmore, cassa
Lumine, non etiam possunt audire vocantes;
Nam ratione carent, lapides & inutile lignum
Creditis esse Deos? Deus est mens ædita nullo
Principio, omnipotens, æterna, essentia simplex,
Cuncta creans, & cuncta mouens, & cuncta guber-
Spiritus immensus, sapiens natura, potestas (nans,
Infinita, boni fons, omnis originis expers.
Hæc mens æternus pater est, ante omnia Mundi
Sæcula qui genuit non enarrabile verbum,
Unigenam sobolem patrio de lumine lucem.
His & ab ambobus diuini flatus amoris
Procedit sanctus Flamen Deus ignea flamma,
Sic sentire pios decet, hanc abolere tyranni
Doctrinam fidei tentant, in fœdera iuncti
Conueniunt, sanctis & nil nisi dira minantur.
Quid iuuat vsq; adeo sæuire, quid impia prodest
Bella mouere, Deus nec vi, nec vincitur armis.
Multa quidem inceptant reges Dominiq; potentes,
Multa mouet Mundus, regnumq; euertere Christi
Sese posse putant: vanos deridet eorum
Conatus cœli rector: ferte oscula nato,
Qui formam serui, fragiles & corporis artus
Assumens

Assumens hominum lapsus deplorat acerbos.
Hunc sic ante oculos in imagine ponite viua,
Quod velut eiectus mendicus & exul oberret,
Esuriens, afflictus, egens & vulnere plenus.
Ah quoties sua membra premi, quotiesq; piorum
Fortunam queritur, miserorum afflictio paucos
Afficit, alterius damno gaudere solemus.
Ergo graues dabimus poenas: Nam flebile tempus
Iudicij veniet, quod non procul auguror esse.
Improbe tum stabis trepidus, vox fulminis instar
Attonitas aures feriet, procul ite maligni
Inquiet Altitonans hominum Seruator Iesus,
Erraui esuriens, mihi non alimenta dedistis:
Dura sitis siccas fauces & guttura pressit,
Non fuit inuentus, qui potu labra rigasset:
Incessi nudus, non me velastris amictu.
Caesus eram flagris, nullus mea vulnera fouit.
Impie tum dices, te quando vidimus vnquam
Christe cibi cupidum, vel nostri panis egentem,
Vel tibi quis nimium sitiendi grata negauit
Pocula, quis nudum pedibus, quis veste carentem,
Et flagris caesum vidit, seu vulnere laesum,
Et non subuenit misero: responsa sonanti
Voce dabit iudex: nostris quaecunq; dedistis
Damna mali focijs, vel munere quicquid in illos
Exiguo quoq; collatum fuit, omne putandum
Esse mihi factum, crux agminis aspera sancti,
Est etiam mea crux, patior per membra dolores.
Lenijt his dictis feruentem praesidis iram,


Vincula de manibus Polycarpi soluere iussit,
Tum rursus vulgus vento furiosius Austro
Sæuire incepit, strepitu magnoq; tumultu
Omnia permiscens, ferijt sonus ætheris auras,
Quid facis, exclamant, vis tu dimittere fontem?
Trade neci, toto ne dogmata spargat in orbe
Ipsius Christi, de quo peruenit ad aures
Primum fama metus parui, de matre ferebat
Virgine adhuc natum regem, vix vnus & alter
Credebat, magno res hæc neglecta potentum
Est damno, nunc in tantum creuisse videmus
Christiadum sectas, vt non medicina parari
Amplius huic pesti possit, modo territat vrbem
Hæc noua relligio Romanam, & fœdera rumpit
Tranquillæ pacis: certè immedicabile vulnus
Ense recidendum, ne pars illæsa trahatur.
Incumbunt operi, pars altis montibus ornos
Aduoluunt, cuneis pars scindunt fissile lignum,
Et rogos extruitur, te non tua somnia fallunt
O Polycarpe, quibus de rebus sæpe monemur
Venturis: placidus noctu te somnus habebat,
Effigies visa ante oculos astare iacentis
Sanguinolenta viri manifesto lumine, qua se
Plena per insertas fundebat luna fenestras.
Tristis erat facies, & vulnera multa gerebat,
Talibus attonitus visis, agnoscere vultus
Non potuit: quærit, quis sit, quem vulnere plenum
Aspiciat: tecto gemitus lacrimabilis alto
Auditur, vox hæc & reddita fertur ad aures.


Sum

Sum saluator ego Christus: quæ corpore cernis
Signa, geres mox ipse, vocant hinc te tua fata,
Excutitur dulci somno Polycarpus, & instet
Quod sibi mors certò præsentit, ad omnia promptè
Iussa Dei se offert: tenebris aurora fugatis
Orta rubescebat, manibus tunc vincula rursus
Iniecêre pijs, iam venerat vltimus æui
Terminus, ille vale dicens sic deniq; fatur,
Te precor alme pater dilecti nomine nati,
Exaudi quas fundo preces, & suffice vires
Vi spirante tua, ne sæuo vincar ab hoste,
Intercede Dei vultus æterne sacerdos
Pro me, proq; alijs tu Christe benigne redemptor,
Nam tu solus habes, mihi quæ solatia præstes,
Ingentem aggredior luctam, mens anxia quærit
Desuper auxilium, quis in hoc discrimine magno
Subueniet: præsens adsis mihi dulcis Iesu,
In cuius roseo posita est spes tota salutis
Sanguine, quo tincti veteris contagia culpæ
Abluimus, dulcemq; cibi cœlestis odorem
Attrahimus, quo pastæ animæ solamina vitæ
Accipiunt: sitit hic animus sua gaudia, fontem
Viuficum, mea corda riges dulcedine verbi
Christe tui: cœtus cum sit tibi cura piorum,
Cur nos spectaclum finis omnibus hostibus esse?
Nonne vides miseros quæ iactent fata ministros?
Maçtamur tanquam pecudes, & lumina verso
Condis adhuc vultu: Deus expergiscere tandem,
Quod superest, animam tecum Pater accipe, dixit:
In me.

In medio ponens caput expiravit in igni.
Per flammās globus est conspectus, rosida cœlo
Vix habet hos arcus decorata coloribus iris.
Illæsum mansit corpus (mirabile visu)
Martyris in fontis, Vix hæc credenda profanis,
Plus valet humanis diuina potentia rebus.
Ignis enim retro cessit, cessere fauillæ.
Ense latus foditur, de quo largissimus instar
Fontis manauit sanguis, miranda videntes
Obstupuere viri, & mandantes corpora terræ
Duxerunt gemitus hos, & suspiria corde,
I felix, post te sit ianua clausa sepulchri,
Atq; senile caput placidæ compone quieti,
Præmia læta breuis post dura incommoda vitæ
Accipies, tibi celsa patent penetralia cœli.

FINIS.





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Historia
MICHI DVO
YRVM LAVREN
YCARPI HEROICO
E CONSCRIPTA

2

A
SCHELHAMERO
gelium Christi in templo
o Urbis Noribergæ.



GAE IMPRIMEBAT
loricus Gerlazenus.

D. LXX.

